

concinite &c. quem supra Berengaudi Expositioni Apocal. adjectum diximus, insertumque legimus Enarrationib. in Apoc. Anselmi Laudun. prout extant in Opp. Anselmi Cantuar. Colon. 1612. T. II. p. 506. f. quin tamen *Expositio* nostra aut Berengaudi aut Anselmi sit. Finit illa: *et ut uerba hujus libri et tribulationes cum patientia et gaudio perfecte (perferre?) possitis, utinam cum omnibus uobis o fratres sit gratia, id est, gratuita remissio et gratuitus amor domini nostri ihesu christi, uel domini patris et ihesu christi et spiritus sancti, spiritus sancti dico intellecti per patrem et filium. Amen.* Additur ad haec, ut ait Noster, *propter obscuritatem loci exactior Subputatio Numeri Bestiae*, ubi rursus e voce Γεννητικος conficitur valore literarum numerali DCLXVI. Ut adeo, dum Noster scriberet, recentior fuisse videatur memoria Persecutoris hujus Catholicorum a. 477. extincti.

II. fol. 77. sequitur similis *Expositio Cantici Canticorum*, in cuius Autore detegendo pariter operam me luisse profiteor. Praefatio ejus ita orditur: *Notandum quod in hoc libro Oscula, ubera, gene, femora ponuntur. In quibus uerbis non est irridenda sacra descriptio &c.* Opus vero ipsum: *Osculetur &c. Vox est sinagoge aduentum christi desiderantis. quousque sponsus meus mittet mihi oscula per moysen, mittet (per) prophetas. Jam ipsius cupio ora contingere, ipse ueniat, ipse de-*

scendat. Orat ergo sponsi patrem et dicit ad eum: Osculetur &c. Videas citari Origenem in *Cantica*, frequentius Gregorium M. frequentissime vero *Iustum episcopum, Urgellitanum* videlicet in *Hispania* Sec. VI. cuius Expositionem in *Cantica* post varias Editiones habes in *Bibl. PP. Lugd. T. IX. p. 731.* Atque hinc de nostrae Descriptionis tempore aliquantum liquet. Illius finis: *assimilare capreg hynuloque ceruorum, quia tu es, qui carnem suscepisti mortaliu et saltu celeri omnes altitudines transcendisti celorum. Super montem aromatum, id est, excelsior existens super omnem gloriam angelorum. Amen.* Neque huic Opusculo multo magis pepercit tempus edax; restat tamen in alio *Codice*, quem, si lubet, conferre poteris ductu *Indicis.*

CCXXI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3315
XII. Folior. 235. f. caractere luculento perscriptus, et Librorum initiis picturatus inscribitur: *Incipit prologus Ruodberti tiviciensis abbatis in Apokalypsin.* Ita quidem: *Vt tu quoque o venerabilis Coloniensis Archipresul Friderice presentis &c.* Obiit hic *Fridericus I. a. 1131.* itaque quadriennio ante Abbatem nostrum πολυγαρον, in cuius Opp. T. III. Venet. 1749. f. Commentarius noster p. 349. habetur et inquit: *Apokalypsis Ihesu Christi. Cum tota libri series grece conscripta fuerit, et de greco fonte in latinę linguę am-*

nem cucurrerit &c. Exemplar vi-
vo fortassis etiam dum Autore
scriptum non foret inutile ad ipsa
Edita perficienda. Ita vel in Prae-
fatione certo legi debet *collatio-
num iucunditas*, non *collocutio-
num*; ait enim *Rapertus* mox in-
fra *post easdem collationes*; item
agebat hoc per nimiam &c. non
agebat hic; item *latere arbitre-
mur non arbitramur*. Erravit ta-
men etiam *Librarius* pro *foderunt*
in torrente (כנרת) scribendo in
oriente. Ad calcem Operis: *Me-
mento Scriptorum*. Et reipsa per
decursum duplex observatur manus.
Adscripta est manu ejusdem
Sec. aut XIII. ineuntis sequens E-
pistola: *Rex nobilis defensor et*
rector gentis et legis suae et regni
*sui secundum iustitiam et equita-
tem tam pauperum quam diuitum,*
*Saladinus rex sarracenorum babilo-
nie, dulcarie, alexandrie, toci-
usque terrae egypti fortunatus Jo-
seph* (id etiam *Saladino* nomen)
*protector quoque Imperatori mag-
nifico altissimo nobilissimo F.* (ri-
derico I.) *intimo domino et aman-
tissimo amico pro omnibus tocius*
*mundi karissimo iuxta cordis sui de-
siderium pro omnibus regibus ac*
*principibus rerum suarum felicif-
simum a deo euentum, generis ac*
*nobilitatis suae uniuersorumque pos-
sidendorum ac possessorum perpetu-
um gaudium ac longeuam uitam*
*cum gloria et honore in nomine do-
mini amen.* *Gratias omnipotenti*
*refero, qui ad agnitionem magni-
ficentiae eius et laudem nominis sui*
cor nostrum gratificauit, et super
omnibus beneficiis, quae gratia e-

ius (con?) referre dignata est, ad
glorificandum eum linguam nostram
edocuit. Literas maiestatis uestrae,
*quas per uirum nobilem ac sapien-
tem et discretum albricum uideli-
cet militem ac legatum uestrum*
ienuensem nobis transmisisistis cum
summa honorificentia presentibus
*baronibus et terrae nostrae magistra-
tibus desideranter recepimus. Qui-
bus summopere intellectis die no-
duque familiariter et secrete su-
per ea, quae in eis continebantur,*
et quae ipse legatus nobis ex parte
uestra intimaui, consilium nostrum
*indefinenter habuimus, et licet reg-
norum nostrorum distancia corpora*
*nostra semoueat, tamen cor no-
strum uestrae serenissime dilectioni*
statim conligatum fuit. Mandatum,
*quod nobis demandastis ad augmen-
tum honoris nostri, pro precepto*
habuimus, quia per hoc credimus
super omnes reges excellentiores
*esse tam christianos, quam sarrace-
nos. Vnde tam astricti uobis, et*
imperio tenemur, ut nunquam a
uoluntate uestra et ab obsequio
uestro separari uelimus. Cuius
*rei gratia legatum uestrum, quan-
tum potuimus, honorauimus, qui*
*utique legationem sibi commis-
sam prudenter et sagaciter exple-
uit. Literis quoque uestris mag-
num circa nos dilectionis uestrae af-
fectum et in omnibus modis et su-
per omnia magnam prudentiam*
uestram diligenter considerauimus.
Vnde excellentiae uestrae gratiarum
actiones cum mia (sic) referimus,
quod talis et talem legatum nobis
delegastis, per quem salutem et
dilectionem uestram et omnium
prim.

principum imperii uestri nobis demandastis, pro qua sola salute uobis mille salutes remandauimus, et quia uos diligimus, et honori uestro bene cupimus, pro mutua dilectione, qua indissolubiler uobis astricti tenemur, omnes barones et regni nostri optimates uos et uestros diligunt. Inter cetera scire debetis, quia quidam ienuenses, qui predictum Albricum legatum uestrum comitabantur, non legatum uestrum sed cancellarium uestrum ipsum afferbant multa mala de uobis predicantes. (An profferbant legendum accusabant? An Cancellarii ἐπίσκοπον puta infidum, corruptum &c. omisum? An scribendum erat praedicantem?) Quare in dubitationem uersi propositum nostrum et legati uoluntatem adimplere distulimus. Veruntamen ob hoc nullatenus praetermittere uoluimus, quin huius rei ueritatem inuestigare uellem, inde quoque fidelem nostrum sapientem quidem et multitudine legum butair (Ebu Taher?) esmair (Ismail?) imbutum ad uos transmitterem, quem deus conducat. Rogamus ergo benignitatem uestram, ut eum, sicut decet excellentiam uestram, honoretis scientes, quia, qui honorat legatum, honorat et dominum. Ceterum, si placuerit uobis cum predicto legato uestrum legatum cum litteris uestris nobis transmittere, nos tocus negocii seriem, statim ut ueritatem et certitudinem inde cognouerimus, iuxta honorem uestrum et uoluntatem uestram ad effectum perducemus, et, sicut superius diximus, corda nostra sem-

per coniuncta erunt, quamuis longa terrarum spacia corpora nostra separata habeant. Data babilonig medio mense Aprili. Integram exhibui; nuspiam enim haecenus ejus mihi mentio oblata est. Anterior fit oportet anno 1188. nam ad h. a. Goldastus T. III. Constit. Imperial. p. 362. Mandatum Diffidatorium Friderici I. ad Saladinum refert alia jam spirans. Ejus tamen ingressus: *Devotionis tuae litteras multis retro temporibus ad nos destinatas — suscepimus &c.* fortassis ad praesentem Epistolam adludit, quae vix inter fictitias, quarum Maimburgius in *Hist. des Croisad.* meminit, ceteri possit.

CCXXII.

Codex membranaceus lat. Sec. R. 229a
XIV. Folior. 188. f. maj. per duas columnas elegantissime scriptus, frontibus Librorum, litterisque initiorum venuste deauratus et picturatus, quondam *monasterij Sancte Dorothee Canonico. regularium wienne*, inscribitur I. Incipit *expositio Ricardi. Super Apocalipsim. Et sequitur. Richardus* hic est S. *Victoris Paris.* Canonicus reg. gente Scotus, Ascetes insignis ✠ a. 1173. Prologus prior hujus expositionis inquit: *Accipe itaque frater karissime hoc sententiarum munus &c.* Alter: *Beatus iohannes celestium misteriorum theologus &c.* ipsa Expositio in VII. Libros et capita diuisa: *Deus immensus et eternus &c.* Extat impressa cum reliquis Viri Scriptis Colon.